

Syllabus Differat.

- 1.) Bochmer de secundis nuptiis, praecipue illustrissimarum
- 2.) Graulmann Hila cur, in puncto nullitatis matricis
monii ob defectum liberis consensu.
- 3.) Vingespaner de Iure Dolium vom Missus Dux
- 4.) Galeas.
- 5.) Wurthius de Bonis conjugum et illatio, et duran-
te matrimonio acquisitione.
- 6.) Argyrius de sponsatibus, probatione, obligatione,
et disfaldione sponsaliorum
- 7.) Argyrius de officio iudicis circa officia iurationis
- 8.) Bochmer de causis aedium et majoribus.
- 9.) Argyrius de probanda rectione crediti.
- 10.) Cudovici de coelibatu poenae nomine imposito.
- 11.) Bochmer de bonis parochialibus. vom Missus Dux
- 12.) Bochmer de diverso signoris et hypothecar-
iis.
- 13.) Argyrius de Iure miserabilium.
- 14.) Thomassius de origine Processibus requisitorum
- 15.) Thomassius de Iure circa somnum et somnium
vom Missus Dux. vom Missus Dux. vom Missus Dux

AMICABILIS COMPOSITIO LITIS
INTER DD. AGITATISSIMAE:

**UTRUM SUCCESSOR
SINGULARIS EXPELLERE
QUEAT CONDUCTOREM;**

VULGO:

Ob Kauff Weiethe breche?

QUA,

EVITANDARUM OMNIUM LITIUM ERGO
NOVUS ALIQUIS CONTRACTUS,
LOCATORES INTER ET CONDUCTORES CELEBRANDUS,
COMMENDATUR:

PRO INDICANDIS

STUDIOSAE JUVENTUTI

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA

LECTIONIBUS SUIS AESTIVIS

PUBLICE PROPOSITA

A

D. DAN. FRIDER. HOHEISEL.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS JOHANNIS GRUNERTI, ACADEM. TYPOGR.



CONSPECTUS PROGRAMMatis.

Duplex officium est genuini Juris dum §. XIII. Commendatur itaque interpretis circa controversias emptio venditio ususfructus temporis juridicas uriles §. I. De presenti questione mota controversia proponitur §. II. Conductorem expelli non posse a successore singulari probatur ex Jure N. §. III. Adducitur objectione §. IV. Refutaturque §. V. At de Jure civili Rom. potest expelli §. VI. Habet quidem actionem ad intereste, sed parum utilem §. VII. Hinc de cautelis cogitarunt DD; & pastum quidem de non alienando nullam præstat securitatem §. VIII. Explicatur L. 2. C. de Cond. ob. caus. dat. nota i. Melior est cautela hypothecæ §. IX. Sed locatori admodum est incommoda §. X. Mirum est quod distinctione inter jus in re & ad rem Jus N. tanta pere mutaverit. §. XI. Interim vindendum, nomine conductori jus in re possit adstrui. §. XII. Habet autem revera usumfructum, & solum nomen deest, quare hoc saltim erit supplen-

§. I.

In genui Jurium interpretis circa controversias, usum in vita civili præbentes, duplex esse officium videatur; alterum ne facile dubia adversus doctrinas moverat communes, nisi vel istis objectionibus fatisficerit, vel

alia

alia principia casuum decisionibus inservientia suppeditaverit, alias enim scepticismus juridicus summo cum reipublice & miserorum civium, quorum de corio & pecunia luditur, detrimento stabilitur: alterum, ut, sicuti controversiae occurunt tales, quæ in utramque partem non disputari tantum, sed & revera & Romanis legibus satis evidentibus decidi possunt, viam monstrat civibus controversias istas omnes evitandi; quod hoc magis necessarium existimo, si utraque dissentientium pars aseclis suis abundat, sententias doctorum suorum in praxin deducentes.

§. II.

Et talis vero est præsens questio: utrum is, qui prædium in annos aliquot conductus, si durante conductionis tempore, prædium illud in tertii dominium ex titulo singulari pervenit, ab hoc novo domino ante elapsos conductionis annos queat expelli? Non sine insigni eruditionis apparatu de hac disputatione DVVS ZOLLIVS & DN. ZAVNSCHLIFFERVS, Viri Clarissimi: illo negativam sententiam propugnante, (a) dum hic in alia omnia abiret, cum communii faciens negantium caterva. (b) Si jus N. spectes, rectissime sese habet Dni Zollii hypothesis; sin jus civile, cum Dno Zaunschlifffero sentiendum videtur.

§. III.

Ad Jus N. quod attinet, notissimum est, quod dominium contineat *jus, rem aliquam corporalem omni, quo fieri potest, modo in sui solius usus convertendi.* Cum autem usus rerum nostrarum revera infiniti sint, dominii quoque effectus enumerari omnes nequeunt. De hisce vero effectibus dominii diversimode & pro lubitu disponere dominus potest, prout ei re sua putaverit, atque id ipsum facit jure dominii. Unde & potest dominus quibusdam effectibus dominii renunciare in gratiam

A 2

tiām

(a) Speciali Dissertat. ad L. 9. C. de Locato &c cond. sub rubro: Rauff hebet Miethe nicht auf.

(b) In Vindiciis prolebii: Rauff gehet vor Miethe/ quæ specimini antonimiarum Mevianarum adjecta sunt. Edidit deinde Dn. Zollius defensionem Dissertat. sūg; alter vero Vindicias vindiciarum opinionis communis &c.

jam tertii (c); aut quosdam effectus plane transferre in tertium, (d) idque vel in perpetuum vel ad tempus: quod dum fecit, non jam amplius integrum ipsi est atque illibatum dominium, licet adhuc a potiori denominatio fiat, atque ille *dominus*, aut saltēm *proprietarius* adhuc dicatur. Ergo si deinde *dominium* sive *proprietatem* suam in tertium transferat, quomodo cuncte id fiat; hic non illibatum, sed imminutum quodammodo ac *nonnullis effectibus carrens* dominium acquirit. Unde concludo, si prædiū alicuius dominus jus utendi fruendi vel habitandi alteri concessit, ipsum jam *hoc jure carere*, adeoque & *dominium* suum alienantem, illud *dempto* isto *jure* utendi fruendi habitandive in alium derivare; per rerum naturam enim plus juris transferre in aliū nequit, quam ipsi in istud prædiū relictum erat. Jam vero omnis conductor jus utendi fruendi aut saltēm habitandi ad certum aliquod tempus habet, ergo id ipsi nec a domino qui locavit, nec a successore ejus, sive universalī, sive particulari potest auferri: adeoque novus prædiū locati dominus non potest, durante conductionis tempore, expellere conductorem.

§. IV.

Equidem existimant nonnulli adhuc æquitatī conveniens esse, ut expelli possit conductor ante elapsū locationis tempus. Quid enim, instant, si locator occasionem habeat prædiū suum vendendi, emptor autem sub alia conditione emere nolit, quam si ipsi liceat conductorem expellere; nonne, quæsto, æquum est conductorem jure suo privari? Quænam proportio est inter lucellum illud, quod conductor ex prædio per paucos annos acquirit, & damnum quod sensurus est dominus, si is admodum indigeat pecunia, eamque ex fundi venditione redigere queat, non tamen aliter, quam ubi recedere nouo domino liceat a locatione?

§. V.

(c) Habet fundamentū servitutum negativarum.

(d) Veluti ut tertio liceat per fundū alterius ambulare, vedi &c. sic pater principiū servitutum affirmativarum. Prouti autem iste tertius vel persona est, vel fundus: ita servitus (affirmativa aut negativa) vel realis sit vel personalis.

§. V.

Sed facilis est ad ista responsio, nimisrum i) ex hoc, tenui licet, lucello forte conductor vel colonus vivit, adeoque eodem cum detrimento id ipsi eripietur, quo dominus pretio vendendi praedii carebit. 2) Vix casus est dabilis, ut nullus iuveniatur emperor, nisi jure expellendi conductorem ipsi concessio. Imo 3) si vendere nequeat fundum, & pecunia indigeat, poterit eundem oppignorare. Denique 4) quod caput rei est, illi qui hoc obiciunt, nesciunt differentiam inter officia & beneficia. (e) Conductor juri suo, sibi ex voluntate domini perfecte quæsito, renuncians in favorem locatoris, procul omni dubio ipsi beneficium exhibet; ad tale autem nemino in judicio compelli invititus potest, quia beneficia nunquam cum nostro majori incommodo a nobis exigi queunt. Utrum autem majus nostrum incommodum concurrat, id nostræ conscientiae & proprio judicio relinquendum, nam ipsa illa allegatio causarum, cur beneficium alteri exhibere recusemus, earundemque probatio coram judge facienda nimium quantum jam nobis incommoda atque onerosa futura esset. (f)

§. VI.

Sic itaque de Jure Naturæ res satis est evidens. At in Jure civili tristissima est distinctio inter *jus in re* & *ad rem*. (g) Juris in re quinque sunt species, quarum nulla conductori tribuitur, unde unice *jus ad rem* ipsi competere dicendum est: quare tantummodo actio personalis locatori ejusque hæredibus intentanda ei competit, contra successorēm vero singularem minime da-

A 3

tur,

(e) Illa sunt, quæ ILLVSTR. DN. THOMASIVS ex principiis iusti; hæc, quæ ex principiis decori derivat.

(f) Fusiūs est in lectionibus Juris N. explicare soleo, hoc loco brevis esse cogor. Si cui autem ullum adhuc dubium superest, is exemplo eleemosynarum non difficulter intelliger, nunquam nos ad beneficia invitos cogi in judicio, quamvis & in his eadem de proportione adferri posset philosophia, quam ex mente dissentientium proposimus §. IV.

(g) Est hac distinctio merum inventum Juris Civilis, uti in lectionibus meis tam philosophicis quam juridicis fusiūs demonstrare soleo. At, inquis, cui bono? Usu ejusmodi doctrinarum ex hac ipsa meditatione perspicies. Quod autem omni rationali fundamento hæc distinctio careat, apparebit e §. XI. seq.

tur, veluti adversus *legatarium*, L. 32. ff. *Locari*, autem *temporem* L. 25. §. 1. *Eod.* L. 9. C. de *Loc.* & *cond.* (h) Quamobrem successor singularis plane ad id non est obstrictus, ut stet *contrachui locationis*, quippe quem non ipse iniit.

§. VII.

Salva quidem est conductori *actio personalis* ad *interesse*, aduersus locatorem ejusve heredes instituenda cit. L. 25. §. 1. cit. L. 32. L. 120. in f. de Leg. 1; sed in proverbium abiit: in *actiōnibus* ad *interesse* (& *injuriarum*) lucramur nihil aut parum, id que ob difficultiam probationem ejus, quanti nostra interficit.

§. VIII.

Quae cum ita se habeant, de variis cautelis excogitandis, quibus prospiceretur conductori, laborarunt Doctores. Alii commendarunt pactum cum locatore ineundum, ne ipsiliceat ante finitum conductionis tempus fundum locatum alienare: At vero si ille fidei datae immemor, nihilominus ad interdictum contractum accesserit, adhuc transfertur dominium. (i)

§. IX.

Quare hoc pactum conjungendum esse cum hypotheca, in praedio locato conductori in securitatem contractus locati constituenda, censem Juris interpretes (k). Evidem videri posset

(h) Existimat quidem *Dn. Zollius* cit. L. 9. C. de eo casu intelligentiam esse, quo fundus conductori nondum traditus est: sed hanc interpretationem non admittunt verba: *ut in eadem conditione maneat*. Multo minus autem cit. L. 25. §. 1. explicari potest de denegatione refectionis fenestrarum vel similiūm præstacionum: nec est quod cum cit. §. 1. conjungantur verba finalia §. 2. ibi enim jam alia materia pertractatur. Quinimo si successor singularis deberet stare contractui locationis, incumberet quoque ipsi onus refectionis necessaria, sine qua ususedium conductori præstari nequit.

(i) Vid. EXCELL. DN. WERNHERVS in *Observat. for. Vol. I. P. II. obs. 360. p. 665.* Allegat ibi L. 2. C. de *Cond. ob caus. dator.* quae quidem prima fronte contrarium videtur continerere, sed revera illa docet, dominum vel non debere alienare, vel si id nihilominus fecerit, ad *interesse teneri*. Hic sensus est verborum: *Ea lege in vos collata donatio, ut neutrī alienando sua portioṇis facultas illa competitat, id efficit, ne alterutes vestrum dominium prorsus alienet; vel ut donatori vel ejus heredi conditio servata, queratur.*

(k) Conf. Idem VIR EXCELL. cit. *Obs. 360. & Vol. V.P. VII. O. 227. p. 6. p. 426.*

posset adhuc nondum prospectum esse conductori, sed hypothecam talem saltim ad id proficere, ut interesse consequatur: Quisquis vero ita rationes subducet, falleretur. Actio enim ad interesse est tantum subsidiaria, qua ut quis experiatur non ante *cogi* potest, quam id, quod principaliter debetur, praestari nequit; quod eo casu, quo conductor adhuc incumbit fundo cumque detinet secus se habere, nemo nisi lippus non videt.

§. X.

Quamvis autem conductori hac ratione omnino securitas procuretur; hypothecæ tamen hujus constitutio cum aliis incommodis est conjuncta. Sæpe enim contingit, ut alii jam creditores hypothecam sibi in prædium istud redemerint. Notum est pretia rerum immobilium paucorum annorum spatio vehementer crescere & decrescere posse; experientia docet, sæpius totum illud pretium, quod vendito ex fundo redigitur, satisfaciōne creditorum ægre sufficere, quod adhuc frequentius evenit, si multorum annorum usuræ debeantur. Ergo vix concedent creditores, conductorem, hypotheca constituta, in possessionem prædii admitti. Fac autem prædium hactenus ab omni hypotheca liberum esse, forte tamen accidere potest, ut locator durante contractu pecunia indigat, tunc vero non reperiet sibi crediturum. Probe præterea obseruandum est, si cui in securitate contractus aliquis, ex quo non certa aliqua pecunia summa debetur, sed ubi præstations incertæ sunt, hypotheca constituitur, id ingenti cum onere constituendis domini fieri. Sic enim in prælenti casu conductor ex capite meliorationum, remittendæ ob sterilitatem mercedis &c. possessionem ulteriorem hypothecæ, elapo licet jam contractus tempore, urget. Ex quibus omnibus id confit, esse & manere hypothecæ cautelam domino ac locatori predii miris modis incommodam.

§. XI.

Verum enim vero non demirari satis potest, cur dominus fundi alicujus, serio id intendens, ut conductor fundum per aliquot annos detineat, habeat usurpetque, ei tamen aut plene non, aut saltem non sine ingenti proprio incommodo securitatem hac de re præstare possit. Certe cum quilibet rei sue, quam¹

quam in dominio habet, legem scribere pro lubitu *naturaliter* queat; cum *effectus* dominii diuersimode, imo infinita varietate in alios derivari possint, quid, obsecro te, hoc casu contrahentibus obstat? Si ingenuus es, si veritatem non dissimulas, nihil prorsus allegare poteris obstatuli, præter unicam illam distinctionem inter *jus in re & ad rem*. Sed putasne hanc distinctionem solido niti fundamento? Quis unquam demonstrativa ratione docuit cur tantum *quinq[ue]* sint species juris in *re*; cur non plures, aut pauciores? Quis ostendit, cur dominium (prima juris in *re* species) non sine traditione transferatur? Imo quis negare potest, hanc regulam sexcentas admittere limitationes, imprimis intuitu *fictarum* traditionum, quas Prætor Romanus introduxit atque ob *clausulam commissoriam* ex qua sine omni traditione (l) transfertur dominium? Possem alia graviora adhuc monere; sed ista alii occasione reservo, edam enim de *Jure in re & ad rem* scriptiōnem: nam illa quæ Huberus in *digressionibus* attulit, quæ B. Dn. Bornius (m) differuit, omnem posteritatis operam non penitus excludere videntur.

§. XII.

Quæ omnia eo faciunt, ut appareat, (paulo licet obscurius) de Jure N. *jus in re & ad rem* non differre. Interim cum ista distinctione Jure civili sit introducta & stabilita, sic demum plenissime

(l) Iraſcor, nec liquet mihi an debeam; sed iraſcor, quando interpres juris in explicandis istis fictis traditionibus usque ad eos fictionibus indulgent, ut v.gr. dicant, in traditione per brevem manū fingendū esse quod venditor prædiū antea tradiderit emptori, ac deinde denuo ab ipso reperit. Certe contra sensum communem esse talia fingere, qua falsa esse & nunquam contigisse ipse is qui fugit probe intelligit. Si quid video, Prætor hoc vult: in *effectu* æque dominium transiſtūrum ACSI ista duplex traditione facta *est*. Idem de aliis fictionibus Juris dicendum. Ex meis certe lectionibus scriptisq[ue] juridicis fictiones in perpetuum relegatae sunt. Adde si placet quæ de præsumptionibus *juris & de jure*, quæ proxime ad fictiones accedunt, differui in *Diph. de Prescript. immem. Cap. II. §. 67.*

(m) In *Diph. de Unica specie juris in re, dominio*. Scilicet ille dominium proprietas, dominium hereditatis, dominium servitutis, dominium *pignoris*, & dominium *possessionis* statuit. Ita vero communī doctrinē nihil præter terminum dominii additur, quo ipso res magis intricari quam extricari videtur.

sime prospici poterit conductori, si ei jus *in re* mediante ipso conductionis contractu concedi & constitui queat, idque, quod caput rei est, *Juri civili convenienter ac conformiter*: At id omnino fieri posse jam evincam.

§. XIII.

Si hisce meis sensibus externis utor, conductorem rei alius immobilis, v.gr. *agri* (quem LL. colonum vocant) contemplatus, id cerno, ipsum colere posse agrum, frugesque ibi natas suas facere; sive ipse colat, sive per alium colendum curet nihil intereft; nec refert *cujusnam generis* segerem agro injicere velit, nisi pactis contractui adjectis speciatim aliud sit provisum: *Hortum ex agro facere*, aut plane *edificium urbanum* invito domino agro imponere prohibetur. Ceterum versari in agro debet instar *boni patris familias*, adeoque non debet negligere agrum, sed eum *stercorare* &c. Sic quoque qui *ædes* conduxit, is habet *jus* in iis habitandi; imo & *sublocandi* atque exinde redeentes *pecunias suas* facit. Pro lubitu autem *ædificii* formam *mutare* non potest, & itidem *bene* in illo *versari*, damnaque per *culpam* suam data reparare debet. Que omnia cum rusticis, lippis, tonsoribus nota sint, sine allegatione legum & Dd. intelligantur. Jam quero; quale sit illud *jus* conductori, quamdiu tempus conductionis durat, competens? Et est procul omni dubio *jus re aliena* (hoc casu immobili) *utendi fruendi*, salua manente ejus facie & bonitate. Sed nonne ita definitur *ususfructus*? Vide faltem L. 1. ff. de *Usufr. pr. f. Eod.* Ergo si ingenue mecum agere vis, fateare necesse est, conductori reapte habere *usumfructum* (& quidem *formalem* uti Dd. loquuntur) *ad tempus aliquod* ipfi constitutum, eique ad *jus reale*, ad *servitutem*, ad *usumfructum* nihil deesset, praeter hunc unicum *terminum USUFRUCTUS*. Sed in terminis faciles sumus; imo hunc terminum in contractu ipso adhibeamus, sic erimus amici & omnis controversia de jure expellendi colonum vel habitatorem erit finita: Nam *nimiae subtilitati* (n) *satisfactum* videbitur etiam nomine *ususfructus addito*,

B

mea

(n) Notanter dico: *nimiae subtilitati*: Revera enim jam vi ipsius contractus conductori fundum *detinenti* *jus realē* & quidem *ususfructus temporarius*

mea faciam verba L. 13. C. de Uſufr. Ne quid dubii superſit,
en formulam contractus:

§. XIV.

Inter Sempronium, fundi Tusculani dominum, atque in praefentiarum uſufructus temporarii venditorem ab una; & Lucium Titum ejusdem uſufructus emptorem ab altera parte, sequens contractus celebratus fuit, quem quisque contrahentium pro se & successoribus suis init.

1) Vendit hisce Sempronius Lucio Titio fundi Tusculani uſufructum in novem annos pretio mille & octingentorum imperia- lium, quod ita dividim inter contrahentes placuit, ut

2) Singulis annis ducenti imperiales prenumerentur, prima prænumeratione facienda Calendis Martii instantis anni MDCCXXVI; altera iisdem Calendis MDCCXXVII, & sic deinceps: ita ut ultima penso ducentorum Imperialium solvatur Calendis Martii anni MDCCXXXIV.

3) Ut autem hoc jus reale atque uſufructus temporarius, hoc contractus emptionis promissus, plenissime constituantur atque in Lucium Titum tranferat, hisce promittit Sempronius, traditionem eius vel procuratori ejus se facturum dictis Calendis Martii instantis anni 1726, simulac ducenti Thaleri exsolusi fuerint.

4) Obligabuntur vero ex hoc contractu ac jure reali utrinque heredes, atque a parte Sempronii successores quoque ipsius singulares, ita ut ubi intra hos novem annos vel Sempronium, vel Lucium Titum contigerit mori, vel praedii dominium alienari, Sempronii successores Lucio Titio, ejusve successoribus universalibus uſufructum hunc usque ad præfinitum tempus incolumem servare obligati sint; simul tamen a predicto Lucio Titio, ejusve hereditibus

porarius tribui deberet, simul autem fatendum foret, Jus Rom. ut s̄epe alias, ita & in hac doctrina non cohævere. Nec me turbaret dubium, quod hoc casu non emptio venditio uſufructus aut habitationis, sed locatio fundi inter partes celebrata sit: Nam ipsæ leges Romanæ fatentur hos duos contractus ita invicem affines esse, ut interdum neſciatur, utrum magis emptio, an conductio celebrata sit. Vide omnino L. 2. ff. Locati cond. §. 3. 3. Eod. Interim cum deficiat interpretum legumque auctoritas, nostrum non est aliquid decidere.

redibus nominatam annuam pensionem ducentorum imperialium,
singulis Calendis Martii prenumerandam, exigere queant.

5) Atque ista quidem prenumeratio erit loco cautionis pro eo, quod, ut bonum patrem familias decet, in isto fundo versatus sit ususfructarius: quod, uti ususfructus indoles & substantia postulat; ita & insuper pro se & heredibus suis hinc promittit Lucius Titius. Qui præterea in securitate pensionis omnisque danni ex dolo vel culpa metuendi, hypothecam generalem in omnia bona sua, præsentia & futura; specialem vero in fructus in fundo Tusculano nascituros atque illata sua Sempronio ejusque successoribus constituit. (o)

6) Illud præterea superaddens, ut domino fundi sit optio, vel hypothecam suam prosequendi, vel ususfructuarium e fundo expellendi, sive is ususfructario jure suo abusus fuerit, sive solutionem annuae pensionis statu tempore facere neglexerit, ita plane ut utroque casu ususfructus ipso jure ad proprietarium revertatur, salvo nihilominus jure, annuam pensionem pro rata mensum exigendi.

7) Prouti autem contrahentes in hoc negotio bonæ fidei mutuam promovere vilitatem cum quadam proportione intendunt; ita Sempronius pro se & successoribus suis, fundi Tusculani dominis, promittit Lucio Titio remissionem quantitatis annuae pensionis obsterilitatem aliud grave damnum per calamitatem quamdam (quam tamen averiat Deus!) fundo Tusculano conciliandam, ita plane, ut alias in locati conductin negotio juris est.

8) Denique exprimirat hoc jus reale temporarium, & cum dominio iterum consolidabitur ususfructus ipso jure pridie Calendis Martii Anni MDCCXXV. ita quidem, ut statim postero die, nimis Calendis Martii dicti anni vitijsa & precaria possessione vel potius detentio ulterior censerit debeat, sub quoconque juris colore illa suscipiatur, & sive Lucius Titius ipse ulterius detinuerit fundum Tusculanum, sive heredes ipsius, sive alius qui-
cunque ejus vel eorum nomine. &c. &c.

(o) Dominum etiam per fidejussores sibi prospicere posse, lector vel me non monente intelligit. Sic quoque de reliquis partis prouti convenerit inter partes, ita jus erit: imprimis circa num. 7.

§. XV.

Initio quidem quilibet intelligit, nihil interesse a parte domini, sive is fundum talem locet, mercede annua ducentorum Imperialium constituta, sive usumfructum vendat ea, qua modo indicavimus, ratione. Id faltem queritur: utrum talis contractus, qualem delineavimus §. præc. de Jure Rom. valeat atque obligationem in foro efficacem producat? hoc autem affirmandum esse mox plenius demonstrabo. Ad nomen contractus quod attinet, est *emptio venditio ususfructus temporarii*. Usumfructum autem vendi posse, apparet ex §. 1. *J. de Usufr. L. 3. pr. ff. Eod. L. 4. inf. C. Eod.* ubi dicitur: *Nec interest, sive ex testamento, sive ex voluntario contractu ususfructus constitutus est:* Et postquam accessit traditio, jus reale tali modo in alterum transferri, notissimum est. Facit huc *L. 3. pr. ff. de O. & A. L. 20. C. de Paſt. L. 16. §. 1. de Usufr.* Præterea ad certum tempus atque in aliquot annos constitui posse usumfructum apparet ex *L. 5. C. de Usufr. L. 16. §. 2. ff. Famil. hercisc.*

§. XVI.

Hoc maximis dubiis involutum esse videtur; utrum etiam ususfructus ita possit constitui, ut in hæredes transeat: infiniti enim sunt textus, ubi claris verbis indicatur, usumfructum morte ususfructuarii expirare. At probe notandum est, plerunque usumfructū apud Rom. per ultimam voluntatem indefinite alicui relictum esse; jam vero *ne in uniuersum inutiles essent proprietates, semper abscedente usufructu, placuit usumfructum certis modis finiri L. 3. §. 2. ff. de Usufr.* inter quos primum locum mors ususfructuarii occupat. Non ignoro idem quoque statutum esse eō casu, quo in certum tempus ususfructus legatus est, per *L. 12. C. de Usufr.* Hæc autem dispositio nullum aliud fundamentum habet, quam probabilem testatoris voluntatem. Dum enim is servitutem personalem certæ persone reliquit, non videtur rationem habuisse successorum ipsius, nunquam enim creditur testator ulterius hæredem suum legatis onerare voluisse, quam disertis verbis indicavit.

§. XVII.

Quod autem non natura ususfructus id absolute exposcat sibi,

sibi, ut cum morte ususfructuarii finiatur, videre est ex L. 17. C. de Usufr. (quæ ad famosas istas 50. decisiones referenda est) ubi Imperator decidit, si filio familias ususfructus legatus sit, per mortem filii usumfructum non finiri, sed continuari in persona patris, usque dum hic e vivis excesserit. Tu dices: filius fam. nihil proprii habet, quicquid acquirit, patri acquiritur, adeoque pater hoc casu revera sit ususfructarius, quare & non potest non ex ipsius persona ususfructus duratio judicari. At vero hæc philosophia non procedit, nam 1) exinde quoque sequeretur mortuo patre, filio usumfructum ulterius non competere, cum tamen contrarium disponat cit. Lex 17. 2) Ita tempora, quibus filius familias nihil proprii habebat, dudum præterierant, nam jam ante Justiniani ætatem distinctio pecu-liorum erat introducta; ita vero legatum ususfructus ad pecu-lium adventitium spectabat. (p)

§. XVIII.

Quid multis? Transit ususfructus in heredes, sive nominatim iis quoque testamento relictus sit, l. 5. pr. ff. de usufr. sive quis sibi & heredibus eundem stipulatus sit, l. 38. §. 12. ff. de V. O. Quem vero apud Romanos effectum stipulatio olim habebat, eundem dubio procul apud nos producit contractus.

§. XIX.

Sed nova oritur difficultas; quamvis enim in heredes transire queat ususfructus, non tamen ultra heredes primi gradus porrigitur: ita colligunt DD. ex l. 14. C. de usufr. sed miserime falluntur, legem hanc pro firmando assertione sua allegantes. Casus ibi occurrit talis: *Titio lego proprietatem edium mearum, demto usufructu.* Ergo ususfructus non cedebat legatario; sed manebat in hereditate, h. e. acquirebatur heredi NB. testatoris, qui tali modo Usufructarius *primus* efficiebatur. Sed tali modo inutilis legatario proprietas videbatur; at Imperator

B 3

usum-

(p) Cœterum si dicendum quod res est, videretur omnino Divus Justinianus hic aliquid humani passus esse. Nam Sabinianorum libros in ab. L. excitat, atque adeo ex antiquis principiis modo recensitis, noviorum constitutionum oblitus, hanc decisionem fecisse non sine probabilitate reputari potest.

usufructum cum primi huius usufructuarii (nempe heredis testatoris) morte finiri vult. Hic sensus est citatae legis, quæ non de herede usufructuarii, sed de usufructuario ipso, qui simul erat testatoris heres, loquitur. Cœterum quamvis hanc probationem respuam, quoad ipsum tamen assertum cum communis sententia facio, siquidem ususfructus testamentis sit relictus. Si cubi enim ad ulteriorum graduum heredes porrigeretur ususfructus; vel iniurialis foret proprietas, vel tandem memoria proprietatis plane intercederet: hoc autem in nostro contractu, qui in aliquot annos initur, verendum est minime. Brevibus, prouti conductoris heredes etiam tertii gradus contractui stare, & jus suum contra locatorem ejusque heredes persequi possunt; ita etiam in praesenti contractu idem dicendum erit.

§. XX.

Non est autem cur quisquam existimet, me in formula contractus novennium ideo posuisse, quia forte existimet, decem annorum spatio usumfructum inter praesentes in perpetuum prescritione acquiri. Qui enim ita concludunt, atque ideo etiam singularis cautelæ instar commendant, ne quidem locationem ultra novem annos porrigidam esse, dudum iam refutati sunt ab aliis. Certe si quis vel in quadraginta annos usumfructum alicui vendat, ab omni tamen prescriptione erit securus, quippe quæ elapsi demum isto contractus tempore currere incipit; ante enim proprietarius agere fundumque suum vindicare propter contractum nequit; at non valenti agere non currit prescriptio. Adhac si cui ad dies vita ususfructus legerit; quis crederet, si legatarius ultra novem annos legato isti supersit, ipsum usumfructum prescrivisse? sed piger hisce diutius immorari (q).

§. XXI.

Reliqua quæ adjeci in contractus formula, explicatione non indigent, sunt autem fere ea, in quibus non tam bene partibus hunc contractum inituris, quam per conductionem prospectum ac provisum foret, unde expressa eorum mentione opus esse putavi

(q) Tribus verbis moneo, deficere titulum ad transferendum NB. in perpetuum jus reale (veluti dominium & hoc loco usumfructum) habilem.

putavi. Multo minus circa reliquias pactiones, veluti de im-
pensis utilibus ac necessariis, item de tributis &c. explicandas
occupabor, solent enim de his etiam in locationum conductio-
num instrumentis partes iuicem per pacta adjecta sibi prospি-
cere, circa quae hic nihil novi erit observandum.

§. XXII.

Hoc adhuc monere necessarium duco, præsentis, quem
explicavi, contractus, non exiguum fore utilitatem, si eundem
loco contractus locati prædiorum rusticorum domini cum co-
lonis, ad longius aliquod tempus conduceatur, inierint. Id
ipsum enim, quod coloni de seruando contractu locati nihil
certi sibi promittere possunt, efficit, ut remissius prædia co-
lant, verentes, ne ubi aucti fuerint reditus, dominus præ-
diuum suum alienet, vel in dotem dando, vel in filium aliquid
ve propinquum conferendo (r) vel alia quacunque ratione.
Hac autem nostra ususfructus temporarii venditione & domi-
no prospectum est & colono. Ad prædia urbana quodattinet, in
iis quidem pari ratione temporarii ususfructus vel habitationis
venditio procedit; sed non tam frequenter evenire solet, ut in-
quilini a novis emitoribus expellantur; quodsi tamen alicuius
speciatim interesset, sibi de securitate servandi contractus
omnimodo prospici, ne tunc quidem venditio hæc insigni sua
careret utilitate. Imo, quando ædificia sub hasta venduntur,
interdum annus & biennium abit, antequam dominium alicui
addicatur; quisnam plurimum licitaturus sit; an is conducto-
ribus ulteriore habitationem sit concessurus, non liquet: hinc
evenit, ut ædificia per totum istud litationis tempus inqui-
linis careant redditibusque, qua tamen incommoda per præ-
sentem contractum ususfructus temporarii venditi evitabuntur
optimè.

§. XIII.

Quod reliquum est, in hac contractus formula excogitan-
da idem feci, quod, quamvis in alio negotio, Gallus Aquilinus
præstítit. Prouti enim is famosam stipulationem Aquilianam
non alium in finem invenit, quam ut simplicitas naturalis, qua
quis-

(r) Vid. omnino Magnif. Wernher cit. obs. 360. vol. 1. P. 2.

quisque iuri suo pro lubitu renunciare potest, per subtilitatem jurisprudentiae formulariæ exclusa, iterum reduceretur, servatis saltem verbis solennibus, quæ mordicus defendebantur ab aliis: vid. §. 2. I. Quib. mod. toll. oblig. l. 18. §. 1. ff. de acceptilat: ita ego planum illud sanæ rationis dictamen, quo quilibet dominus rei suæ pro lubitu legem dicere potest, & quod alios in iuribus suis per contractum quæstis lædi non patitur, adversus distinctionem jurisprudentiae civilis inter jus in re & ad rem denuo stabiliyi, servata nihilominus eadem illa distinctione, ne habeant, cur querantur juris interpretes. Cave tamen existimes, comparationem hanc alium in finem a me fieri, quam ut intelligent omnes, nihil me aliud fecisse, quam quod ex antiquissime civili sapientia defendi possit. Coeterum arrogantium usque adeo dictis meis abesse jubeo, ut potius hujus inventi exiguum artificium esse, imo illud sensu communis deberi sponte mea confitear. Supereft ut de laboribus meis æstivis dicam, quibus sequenti modo fungi animus est:

HORA VIII. explicabo PUFEND. de Offic. hom. & civ. una cum Trii observationibus subjectis, præmissa succincta Juris N. hystoria. HORA X. juncta HORA II. pomer. ILLISTRIS DN. BOEHMERI PRACTICAS exponam. HORA XI. ipsum textum INSTITUTIONUM JU-STINIANÆARUM notasque subjectas itidem III. DNI BOEHMERI debita analysi profequar, & Juris privati fundamenta demonstrativa methodo tradam. Denique HORAM IV. explicationi LOGICÆ WOLFFIANÆ impendam. D. VII. MAII lectiones meæ capient initium. Faxit Deus feliciter!



Eo-Beg 2002

01 A 6734



DIA Kopf

Rhein

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

125

126

127

128

129

130

131

132

133

134

135

136

137

138

139

140

141

142

143

144

145

146

147

148

149

150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160

161

162

163

164

165

166

167

168

169

170

171

172

173

174

175

176

177

178

179

180

181

182

183

184

185

186

187

188

189

190

191

192

193

194

195

196

197

198

199

200

201

202

203

204

205

206

207

208

209

210

211

212

213

214

215

216

217

218

219

220

221

222

223

224

225

226

227

228

229

230

231

232

233

234

235

236

237

238

239

240

241

242

243

244

245

246

247

248

249

250

251

252

253

254

255

256

257

258

259

260

261

262

263

264

265

266

267

268

269

270

271

272

273

274

275

276

277

278

279

280

281

282

283

284

285

286

287

288

289

290

291

292

293

294

295

296

297

298

299

300

301

302

303

304

305

306

307

308

309

310

311

312

313

314

315

316

317

318

319

320

321

322

323

324

325

326

327

328

329

330

331

332

333

334

335

336

337